

*Si non pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.*

✠ Lœctio sancti Evangélii secúndum Lucam

13, 1-9

- <sup>1</sup> **A**derant quidam ipso in témpore nuntiántes Iesu de Galilæis, quorum sánguinem Pilátus míscuit cum sacrificiis eórum.
- <sup>2</sup> Et respóndens dixit illis: «Putátis quod in Galilæi præ ómnibus Galilæis peccatóres fuérunt, quia tália passi sunt?
- <sup>3</sup> Non, dico vobis, sed nisi pœniténtiam egéritis, omnes simíliter períbitis.
- <sup>4</sup> Vel illi decem et octo, supra quos cécidit turris in Síloam et occídit eos, putátis quia et ipsi debitóres fuérunt præter omnes hómines habitántes in Ierúsalem?
- <sup>5</sup> Non, dico vobis, sed si non pœniténtiam egéritis, omnes simíliter períbitis».
- <sup>6</sup> Dicébat autem hanc similitúdinem: «Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua et venit quærens fructum in illa et non invénit.
- <sup>7</sup> Dixit autem ad cultórem víneæ: “Ecce anni tres sunt, ex eo quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac, et non invénio. Succíde ergo illam. Ut quid étiam terram evácuat?”.
- <sup>8</sup> At ille respóndens dicit illi: “Dómine, dimítte illam et hoc anno, usque dum fódiam circa illam et mittam stércora,
- <sup>9</sup> et síquidem fécerit fructum in futúrum; sin autem succídes eam”. — Verbum Dómini.